Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



IOHAN

uobis: siquis sermonem meum seruauerit. mortem non uidebit in eternum.
Dixerunt ergo iudei. Nunc cognouimus quia demonium habes. Abraham mortuus est. et prophete: et tu dicis. siquis sermonem meum seruauerit. mortem non gustabit in eternum. Numquid tu maior es patre nostro abraham qui mortuus est. Et prophete mortui sunt. Quem te ipsum facis. Respondit ihesus. Si ego glorifico me ipsum: gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me. quem uos dicitis quia deus noster est. et non cognouistis eum. Ego autem nouum eum: et si dixero quia non scio eum. ero similis uobis mendax. Sed scio eum. et sermonem eius seruo. Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meum: et uidit. et gauisus est. Dixerunt ergo iudei ad eum. Quinquaginta annos annos nondum habes: et abraham uidisti. Dixit ergo eis ihesus. Amen amen dico uobis: antequam abraham fieret ego sum. Tulerunt ergo lapides iudei. ut iacerent eum. Ihesus autem abscondit se. et exiuit de templo. IX.

Et preteriens ihesus uidit hominem cecum a natiuitate. Et interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi. quis peccauit hic aut parentes eius ut cecus nasceretur. Respondit ihesus. Neque hic peccauit. neque parentes eius: sed ut manifestentur opera dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me. donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Cum sum in mundo sum lux sum mundi. Hec cum dixisset: exspuit in terram. et fecit luteum exsputo. et linuit luteum super oculos eius. et dixit ei. Vade et lauare in natatoria siloe. quod interpretatur missus. Abiit ergo et lauit: et uenit uidens. Itaque mirabantur et qui uidebant eum prius. quia mendicus erat. dicebant. Nonne hic est qui sedebat et mendicabat. Alii autem dicebant quia hic est. alii autem nequaquam. sed similis eius est. Ille uero dicebat. quia ego sum. Dicebant ergo ei. Quomodo aperti sunt oculi tui. Respondit. Ille homo qui dicitur ihesus luteum fecit. et unxit oculos meos: et dixit mihi. Vade ad natatoriam siloe. et laua. Et abiui et lauatus et uidi. Et dixerunt ei. Vbi est ille. Ait. Nescio. Adducunt eum ad phariseos qui cecus fuerat. Erat autem sabbatum quando luteum fecit ihesus. et aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogauerunt eum pharisei. quomodo uidisset. Ille autem dixit eis. Lutum posuit mihi super oculos: et lauor. et uideo. Dicebant ergo de pharisaeis quidam. Non est hic homo a deo. qui sabbatum non custodit. Alii dicebant. Quomodo potest homo peccator hec signa facere. Et scisma erat inter eos. Dixerunt ergo cecho iterum. Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos. Ille autem dixit: quia propheta est. Non crediderunt ergo iudei de illo. quia cecus fuisset: et uidisset: donec uocauerunt parentes eius qui uiderant: et interrogauerunt eos dicentes. Hic est filius uester quem uos dicitis quia cecus natus est. Quomodo ergo nunc uidet. Responderunt eis parentes eius: et dixerunt. Scimus quia hic est filius noster. et quia cecus natus est. quomodo autem nunc uideat nesciimus. aut quis eius aperuit oculos nos nesciimus. Ipsum interrogate. Etate habet: ipse de se loquatur. Hec dixerunt parentes eius. quia timebant iudeos. Iam enim conspirauerant iudei. ut siquis eum